

No. 379. 380. 1320. 25. Juli.

B. Withego II. bestätigt mit Zustimmung des Capitels die vom Domherrn Reinhard beabsichtigte Verbesserung des Einkommens zweier Vicarien bei der Domkirche.

In nomine domini amen. Withego dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis universis Christi fidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem in domino Jesu Christo. Ut nostra gesta temporibus perpetuae stabilitatis robur optineant et posteritatis memoriam contingant, ipsa consuevimus litterarum testimonio perhennari. Cum igitur honorabilis vir dominus Reinhardus¹⁾ nostrae ecclesiae canonicus duo²⁾ talenta Vribergensium denariorum annui census, quae olim dominus Nicolaus Cunkonis etiam noster canonicus et fratres sui Theodericus, Petrus senior, Paulus et Petrus junior in villa Koufbach a nobis in feudum tenuerunt, iusto emptionis et venditionis interveniente titulo ab eisdem pro sedecim³⁾ marcis argenti et ponderis Vribergensis comparaverit, et transitoria in aeterna feliciter commutando nobis humiliter et devote supplicaverit, ut praedicta duo⁴⁾ talenta nostrae Misnensi ecclesiae pro divino cultu in eadem ampliando ad unam vicariam in honorem beatae Mariae virginis sanctique Johannis apostoli et evangelistae sanctique Materni episcopi⁵⁾ constructam appropriare dignaremur: Nos eiusdem Reinhardi⁶⁾ iustis petitionibus inclinati, praedicta duo⁷⁾ talenta annui census, per dictum Nicolaum Cunkonis et fratres suos praedictos ad manus nostras sponte et libere resignata, cum omni iure et utilitate, quae eisdem nunc insunt vel inesse poterunt in futurum, nostrae Misnensi ecclesiae ad unam vicariam in honorem gloriosae virginis Mariae, beati Johannis apostoli et evangelistae sanctique Materni episcopi⁸⁾ constructam, ut praemittitur, non obstantibus nostris litteris prius datis, de consensu nostri capituli appropriavimus et appropriamus in his scriptis et appropriata in nomine domini confirmamus, decernentes, eadem duo⁹⁾ talenta ad ius et tuitionem ecclesiasticae libertatis perpetuis temporibus pertinere. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum.

Et nos Waltherus praepositus totumque capitulum ecclesiae Misnensis ad exprimendum consensum nostrum ad appropriationem, donationem et confirmationem huiusmodi pure et libere accessisse, sigillum nostri capituli duximus praesentibus appendendum. Datum Misnae anno domini millesimo CCC°. XX°. VIII Kalendas Augusti pontificatus nostri anno IX°. Testes huius rei sunt honorabiles viri domini Waltherus praepositus, Conradus de Strele, Reynhardus, Lutoltus, Johannes de Strele, Misnensis ecclesiae canonici et quamplures fide digni.

Da B. Withego zwei Stiftungen desselben Domherrn Reinhard an demselben Tage und Jahre in zwei bis auf einige Namen und Zahlen völlig gleichlautenden Urkunden bestätigte, erschien es der Raumersparniss halber angemessen die wenigen Abweichungen einer derselben unter den Text zu stellen. Die Siegel des Bischofs und des Capitels sind bei beiden im Stiftsarchiv zu Meissen befindlichen Urkunden an Pergamentstreifen befestigt.

1) *Reynhardus* B. 2) *quinque* B. 3) *quadraginta* B. 4) *quinque* B. 5) Statt *beatae Mariae* — *Materni episcopi* in B.: *beati Jacobi apostoli et Georgii martiris*. 6) *Reynhardi* B. 7) *quinque* B. 8) Statt *gloriosae* — *episcopi* in B.: *beati Jacobi apostoli et Georgii martiris*. 9) *quinque* B.